



## CAP. VI.

DE TESTAMENTO AD PIAS CAUSAS  
 imperfecto ratione voluntatis, an valeat saltem quo ad dispo-  
 sita favore piæ causæ, & quæ solemnitas in ipso requiratur; &  
 utrum dispositio textus in cap. cum esset, & in cap. relatum  
 de testamentis procedat tantum in terris Ecclesiæ, & favor  
 piæ causæ an sit maior favore liberorum; & de alijs privilegijs  
 causæ piæ interpretatur textus in lege in testamento. ff. de fidei-  
 commissis. libertatib. & textus in cap. quicumque 27. quæst. 4.  
 & textus in l. finali. ff. de rebus eorum: & an testamentum im-  
 perfectum probet voluntatem defuncti, & an factum  
 ad pias causas rumpatur incisione linorum, &  
 de anima hærede instituta,  
 & de alijs dubijs piæ  
 causæ.

## SUMMARIUM.

**T**estamentum quando  
 dicatur factum ad  
 pias causas. 1.

Testamentum ad pias causas im-  
 perfectum ratione voluntatis  
 invalidum est. 2.

Testamentum ad pias causas im-  
 perfectum ratione voluntatis  
 an sit invalidum quo ad ea,  
 quæ favore piæ causæ dispo-

ta sunt, controversum est. 3.

L. in testamento, ff. de fideicom-  
 miss. libert. traditur, & in-  
 terpretatur. 4. & 44.

Piæ causæ dicitur legatum liber-  
 tatis. 5.

Romanus notatur in Authent. si-  
 militer. C. ad leg. falcid. &  
 impugnatur. 6. 8. & 9.

Verbum debuisse, vel debetur de-  
 no-

notat præcissam necessita-  
 tem. 7.

Analogum per se sumptum stat  
 pro fam osiori significato. 10.  
 & 46.

Testamentum imperfectum pro-  
 bat voluntatem defuncti. 11.  
 47. 48. & 49.

Consensus naturalis inest in dis-  
 positio ad pias causas, licet te-  
 stamentum imperfectum sit  
 ratione voluntatis. 13. & 50.

Testamentum nutu factum favo-  
 re piæ causæ valet. 14. & 51.

Testamentum ad pias causas ma-  
 nu testatoris scriptum valet  
 si ne testibus. 13. & 53.

Testamentum ad pias causas non  
 revocatur per incisionem lino-  
 rum, vel quando recuperatur  
 à notario. 14. 15. 16. & 54.

Incisione linorum causæ faciendi  
 aliud testamentum, quod mor-  
 tē preventus non fecit, non re-  
 vocatur primum. 55.

Testamentum imperfectum ra-  
 tione voluntatis valere quo ad  
 disposita favore piæ causæ te-  
 nuit Bartolus, & multi qui  
 referuntur. 17. cōtra Bartolum  
 communis tenet opinio. 19.

& 26.

L. si iure 15. C. de testam. manu-  
 miss. traditur. 20.

Testamentum imperfectum ra-  
 tione voluntatis nec favore li-  
 berorum sustinetur. 21.

Piæ causæ magis favetur quam  
 liberis extra legitimam. 22.

Piæ causæ, & liberorum favor  
 equiparatur. 23.

Liberorum favor maior est quam  
 favor piæ causæ ex sententia  
 Divi Augustini, & non solum  
 respectu legitimæ, sed etiam  
 respectu totius hereditatis.

24. 25. 32. 33. & 41.

Bonacina sententia circa quæstio-  
 nem refertur. 27.

Piæ causæ in ambiguis favendum  
 est. 28.

Piæ causæ non est favendum con-  
 tra regulas iuris expres-  
 sas. 29.

Piæ causæ si nō reperitur expres-  
 se privilegiata in specie vlti-  
 marum voluntatum contra  
 illam interpretatio faciendā  
 est. 30.

Imperfectio voluntatis est defe-  
 ctus illius. 31.

Gloss. in l. si quis ad declinan. C.  
 de episcop. & cleric. reproba-  
 tur. 33.

Exhæredatio sumitur à Divo  
 Augustino in cap. quicumque.  
 27. quæst. 4. pro exhæredatio-  
 ne totius successionis. 34.

Pietas est parentes relinquere fi-  
 lijs, & relinquere piæ causæ.  
 35. & 36.

Privilegiati duo si concurrunt is  
 præfertur, qui tractat de  
 damno vitando. 37.



Liberis hereditas parentum debetur. 38.  
 Ecclesia concurrens cum liberis loco liberorum non habetur. 39.  
 Præteritio patris ignorantis se habere filium extinguit relicta ad pias causas. 40.  
 Decisio Senatus Hispalensis in questione principali referatur. 43.  
 Verbum perfectum sæpè sumitur pro solemnibus, & imperfectum pro non solemnibus. 46.  
 Voluntas defuncti licet declaratur ex testamento imperfecto non est sufficiens ut ex ea agi possit, & solum sumitur coniectura ad declarationem dumtaxat non quo ad vim inducendi vel disponendi circa substantiam. 48. & 49.  
 Voluntas testantis verbis, & factis potest declarari. 51.  
 Voluntas nulla, & simplex testatoris inspicitur in testamento ad pias causas. 52.  
 Solemnitates requisitæ in testamentis iure civili in testamentis ad pias causas non servantur. 56.  
 Legata profana relicta in testamento ad pias causas valent, quamvis testamentum solemnitate iure communi careat. 57.  
 Legata pia relicta in minus

solemni testamento ad profana, an valeant, dubium est, & resolvitur negativè. 58. 59. & 60.  
 Testamentum irritum in principali, irritum etiam est in accessorijis. 60.  
 Testamentum ad pias causas cum duobus testibus, masculis vel feminis, & non rogatis valet de iure canonico, & in quacumque causa, quæ agitur in foro Ecclesiastico. 61.  
 Dispositio iuris Canonici in cap. cum esses, & in cap. relatum de testamentis tantum procedit in clericis testibus, & in alijs qui subiecti fuerint Summo Pontifici, & in terris subiectis Ecclesie, non verò in non clericis, & non subiectis Ecclesie. 61. & 66.  
 Hispani testari debent secundum dispositionem, l. i. tit. 4. lib. 5. Recopilationis. 63.  
 Verisimile non est velle Summum Pontificem vno verbo legibus derogare. 64.  
 Papa non potest tollere leges quantum ad eos, qui non sunt de sua temporali iurisdictione. 65.  
 Anima hærede instituta testamenti executio pertinet ad Ecclesiasticum. 67. & 68.  
 Et quid in causis pijs merè spiritualibus. 69. Et ad quem in-

inducem domicilij, vel rei sitæ pertineat. 70.

**T**estamentum ad pias causas factum dicitur, vel quando ipsa pia causa principaliter instituitur, vel via successione piæ causæ aperitur, ut si substituta sit, vel quando legata pia absorbent maiorem partem hereditatis, ut ex Grassis decis. 3. de testamentis. Et alijs plenè tradit Maria de success. legali tom. 2. part. 4. quest. 8. art. 2. Gregorius Lopez in l. 4. tit. 11. part. 6. gloss. 2. Spino in speculo testator. gloss. 31. princip. nu. 31. Covar. in cap. relatum 11. n. 2. de testament. cum Panormitano, Navarro, Costa, & Gamma, Molina de iust. & iur. disput. 134. cum Peralta, Tiraquello, & Bertachino, Gomez Baio in praxi lib. 2. quest. 2. n. 5. Cardinalis Tuschus conclus. 118. litt. T. Feretillus ad Buratum decis. 475. n. 17. & 18. Diana par. 7. tract. 6. resol. 1.

2 Quo supposito ad rem nostram accedendo, testamentum ad pias causas imperfectum ratione voluntatis invalidum esse, ex decisione dict. legis si quis cum testamentum 25. ff. de

testamentis, quæ in omni testamento observatur, ut dictum est, supra cap. 2. in principio certa, & indubitata est conclusio, & tenent Anchar. Imola, Paul. de Castro, Anania, Iason, Aretinus, Decius, Barbat. Guidon Papa, Guilielmus Bened. Ruinus, Parisius, & Grammaticus, quos refert, & sequitur Covar. in cap. relatum n. 1. de testamentis, ubi quod ab hac opinione in praxi non est recedendum. Vivius in cõmun. opinion. lib. 1. opinione 339. ubi quod factum est recedere ab ista opinione verissima. Capicius Latro, decis. 140. lib. 2. n. 19. in quò autem vertitur difficultas, & questio est satis ab omnibus controversa, an valeat huiusmodi testamentum saltem quo ad ea, quæ favore piæ causæ disposita sunt.

4 Et pars affirmativa probatur ex textu celebri in l. in testamento ff. de fideicommissar. libertatibus, cuius verba sunt: In testamento quidem, quod perfectum non erat, alumna sue libertatè, & fideicommissa dedit: cùm omnia filij veluti ab intestato gessissent, quæ sicut Imperator, an ut ex causa fideicommissi manumissa fuisset. Et interlicutus est etiã si nihil ab intestato pater petijisset.

pios



pios tamen filios debuisse manumittere eam, quam pater dilexisset, & ideo fideicommissa etiam ei prestanda. Ex quibus verbis patet deberi legatum ex testamento imperfecto ratione voluntatis, quia legatum erat libertatis, quæ pia causa est: *l. contra voluntatem, ibi: Iura pietatis, C. de testamēt. manumiss. l. primo gradu 23. ff. quæ in fraudem creditorum, Tiraquellus de privilegijs pie cause in Præfat. vers. item legatum libertatis.*

6 Quæ difficultas minimè dissolvitur, si dicatur cum Romano in *Authent. similiter num. 18. C. ad leg. falcid.* non obligare hæredem, ut patet ex verbis, ibi: *Pios tamen filios debuisse manumittere, ex quibus constat, quod huiusmodi legatum pium non est debitum iure efficacis rationis, sed cuiusdam pietatis, ut videlicet hæres maximè filius adimpleat, quod pater disposuit in favorem piæ causæ, quæ res obligationem nõ producit, l. cum is, §. mulier, ff. de condit. indebit. cum traditis à Tiraquello, *privil. 7. vers. deinde in medio, nam contrarium omnino probatur ex dicta l. in testamento, dum utitur verbo illo debuisse, quod est præ-**

*cis necessitatis, l. sepè, ff. de officio Præsidis, cap. final. de sentent. excommunicat.*

8 Nec respondetur etiam si dicatur, textum intelligi de testamento imperfecto ratione solemnitatis; nam quod de imperfectione ratione voluntatis loquatur, ex eo colligitur, quod in prædicto textu ab intestato filij omnia gesserunt, quia fuit imperfectum testamentum, id est nõ consummatum, & ex omni parte completum, hoc enim denotat verbum illud, quod *perfectum non erat*, perfectum enim dicitur, quod ex omnibus partibus constat, *l. 1. ff. de orig. iur.* quod maximè ad perfectionem voluntatis attinet, si quidem reddit testamentum nullum, & reducit ad causam intestati ex defectu consummationis, sive perfectionis dispositionis testamentariæ; & etiam, quia licet ad imperfectionem voluntatis, & solemnitatis, possit referre, tamen in dubio ubi expresse contrarium non constat, de imperfectione voluntatis, ut principaliori debet intelligi, quia analogum per se sumptum stat pro famosiori significato, §. *sed ius quidem civile instit. de iur.*

*nat.*

*nat. gent. & civi. Raudensis de Analogis lib. 1. cap. 9.*

11 Facit etiam pro hac opinione, quod testamentum imperfectum probat voluntatem defuncti, *l. fin. ff. de rebus eorum, l. cum quis, C. de iur. & fact. ignor. l. gerit. ff. de adquir. hered. l. qui à patre, ubi Baldus, ff. de confirmat. tutor. Decius in l. fin. num. 10. C. de success. edict. Boerius decis. 172. num. 22. Merlino decis. 21. num. 17. Castillo lib. 5. cap. 108. num. 3. & in iam dispositis ad piæ causis utpotè iam declaratis consensus naturalis inest, & voluntas testantis, Abbas in cap. 1. de success. ab intest. col. 1. & ita sustinenda est talis dispositio, saltem quo ad iam perfecte disposita favore piæ causæ.*

12 Denique, quia voluntas testantis qualitercumque cognita quantum ad piæ causas plurimum valet, sustinetur etenim testamentum nutu factum favore piæ causæ Tiraquellus de privilegijs pie cause *privil. 8. & in l. si unquam C. de revocand. donat. verbo donatione largitus, n. 326. Mantica de coniect. ultim. volut. lib. 4. tit. 4. n. 8. Iulius Clar. §. testamētum quest. 6. Antonius Gomez in l. 3. Taurinam. 110.*

*Gamma decis. 81. num. 4. Castillo lib. 4. cap. 27. num. 26. & 27. Thesaurus lib. 2. quest. 99. num. 30. Fusarius de substitutionib. quest. 393. num. 60. Covarrubias in cap. cum tibi de testamentis num. 6. ubi Barbosa in collectanea num. 4. cum multis Diana tom. 7. tract. 6. resol. 21.*

Et valet sine testibus quo ad piæ causas dum manq testatoris scriptum sit testamentum, ut tenent Tiraquellus *privil. 4. Cephalus conf. 99. num. 2. lib. 1. Ruinus conf. 71. num. 18. lib. 3. cum multis Menochius conf. 224. num. 6. vol. 3. Menchaca de success. creat. §. 22. num. 6. Michael Grafus recept. sent. §. testamentum quest. 3. num. 8. quem sequitur Azevedus in l. 1. tit. 4. num. 31. lib. 5. Recop. Cancerius lib. 1. var. cap. 4. num. 8. ubi inquit, quod de facto in favorem piæ causæ obtinuit, Nicol. Genua de scriptura privata lib. 6. cap. 2. n. 11. Diana tom. 7. tract. 6. resol. 14. elegans Rotæ decisio. 74. in novissimis, part. 2. Achil. de Graff. decis. 1. de testamentis, Valascus consult. 67. num. 1. Phæbo decis. 56. num. 4. Bura tus decis. 475. num. 1.*

Et non revocatur per incisionem linorum ad l. nostram,

*C.*